Lane Medical Libra

DE

AMENORRHOEA PRIMITIVA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-GYNAECOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE I. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS HENRICUS THEOPHILUS LUEDDEN

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

A. BUCHHOLTZ, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

B. SCHARLAU, MED. ET CHIR. DR.

R. LEITSMANN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PATRI

OPTIMO, BENIGNISSIMO, DILECTISSIMO

CAROLO LUEDDEN,

MEDICO PRACTICO, REGI A CONSILIIS SANITATIS

NEC NON

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, AMICISSIMO

ERNESTO KUESTER,

MEDICO PRACTICO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Omnes graviores menstruationis perturbationes magni sunt momenti, quod, quae summa est mulierum, functionem procreandi plus minus impediunt. E quibus amenorrhoea non est levissima. Namque eo morbo, ut illud taceam, quod mulierum concipiendi facultas funditus tollitur, maximae molestiae, quin graves et periculosi status induci possunt. De hac menstruationis perturbatione quum locuturus sim, definiri necesse est, quid sit amenorrhoea quibusque causis oriatur. Sed priusquam id faciam, optimum mihi videtur, nonnulla de menstruatione ipsa dicere, quibus perspicuum fiat, quid per amenorrhoeam intelligi velim. Fluxu menstruo externum quasi signum datur, mulieres functiones sexuales omni ratione exsequi posse, imprimis facultatem

concipiendi possidere. Quae facultas menstruatione prima edita quaternis fere hebdomadibus, ut ita dicam, renovatur. In ovariis enim ovula quaternis praetermissis hebdomadibus maturescunt, folliculi Graafiani, qui illa circumcludunt, intumescunt, denique dehiscunt, ut ovula in cavum peritonaei ederentur, nisi oviductibus, quorum fimbriae ovarium amplectuntur, exciperentur et in cavum uteri promoverentur. Ubi aut semine fecundata ad novum organismum evolvuntur, aut semine non tacta post longius vel brevius tempus intereunt.

Cujus gravissimae rei, abs qua salus humani generis magna ex parte pendet, totum organismum participem esse, apparere censeo. Quae quum ita sint, mulieres, dum ovula maturescunt, variis valetudinis alienationibus vexantur, quae molimina menstrua a veteribus appellata sunt. Primum quidem necesse est, quum maturescentibus paullatim ovulis irritatio quaedam provocetur, crescentem sanguinis affluxum ad pelvis organa exsistere, ut earum partium capillaria, praecipue uteri, sanguine turgescant. Quo fit,

ut mulieres brevi ante catamenia ardentes ab osse sacro ad femora tendentes dolores et vexationes in hypogastrio sentiant, quae molestiae eo maxime excitantur, quod sanguine impleta et turgida organa nervos pelvim permeantes comprimunt. Qua hyperaemia ac pressione, multo amplius autem mutata systematis nervorum nutritione, quae a circulationis perturbatione profecta est, variae illae totius organismi molestiae evocantur, quae nonnullas mulieres inter quamque menstruationem tentant. Quae sint illa mala, explicare longum est neque ad rem pertinet.

Aucta igitur sanguinis congestione ad pelvim, partes genitales et externae et internae, ut jam supra dixi, sanguine obruuntur, earum membranae mucosae molliuntur et intumescunt ac larga liquoris mucosi et serosi secretio fit, dum simul immensus cellularum epithelialium numerus dejicitur. Ne longus sim, status quidam catarrhalis profertur, quem summo jure catarrhum physiologicum dicere possumus. Qui catarrhus, in casibus quibusdam etiamsi raris solum menstruationis symptoma externum, cum hyperaemia post ovulo-

rum expulsionem tollitur. Sed longe plurimis in casibus hyperaemia ita crescit, ut parietes capillarium pressui laterali resistere non possint, quo fit, ut capillaria superficialia multis locis dirumpantur ac plus minus larga sanguinis copia in cavum uteri effundatur, unde per vaginam profluit.

Quem fluxum sanguineum medici veteres, qui ovula nondum cognoverunt, ipsam menstruationem esse crediderunt. Quodsi is fluxus turbatus erat, menstruationem anomalam dicebant. Quae res quamvis in universum recta sit, quum menstruatio ipsa i. e. ovulorum incrementum atque expulsio, si fluxus menstruus repressus est aut sanguis copiosior prorumpit aut parcior ac cum doloribus apparet, saepissime impediatur, tamen in casibus nonnullis fluxus sanguineus aut nunquam intravit aut subito cessat, quin concipiendi facultas sublata sit. Nam inter omnes constat, mulieres quasdam concipere et parere neque unquam e genitalibus fluxum sanguineum certo tempore recurrentem edidisse, quod veteribus quidem medicis miraculum videbatur. Nobis,

qui scimus, sanguinis effluvium non menstruationem ipsam esse, sed ovula sine eo maturescere et erumpere posse, ii casus minime miri sunt. Etenim jam supra commemoravi, saepe solum uteri catarrhum hyperaemiam sequi, dummodo vasorum parietes pressui laterali resistere possint. Neque vero omnibus illis casibus concipiendi facultas exstinguitur, ubi mulieribus catamenia subito repressa sunt; hoc eo confirmatur, quod tales mulieres praegnaverunt.

Quibus rebus explicatis, quid sit amenorrhoea, omnibus perspicuum esse puto. Iis igitur in casibus, quibus ovula non maturescunt, amenorrhoea vera adest. Sed quum, quando ovula maturescant et erumpant, vix unquam cognoscere possimus et effluvio sanguinis represso molestiae nitantur, nescio an ob eam causam, quod a patribus in consuetudinem nobis adductum est, omnes mulieres puberes, quarum ex utero certo tempore intermisso sanguis non effunditur, amenorrhoea affectas dicere soleamus.

Discernendum est, utrum apud virginem corpore bene conformatam et ad functionem pro-

creandi aptam menstruatio nondum profluxerit, quae amenorrhoea primitiva appellatur, an fluxus menstruus jam saepius exortus subito cessaverit, quae est amenorrhoea secundaria. De illa hoc loco exponam.

Si puella corpore vigente et valetudine optima, quae omnia pubertatis signa externa ostendit, aetatem excessit, qua menstruatio fere apparere solet, quod in nostris quidem regionibus circa annum sextum decimum evenit, nullam rationem existimandi habet medicus, amenorrhoeam adesse neque ullam indicationem curationis adhibendae, etiamsi a parentibus vehementer id flagitetur. Nam pubertas non semper eadem aetate evolvitur, sed haec puella decimo anno illa vicesimo primam menstruationem edit, neque unam neque alteram morbo affectam esse necesse est. Sin vero puella pubertatem adepta paullatim minus commoda valetudine uti coepit, si molestias illas recurrentes hebdomadibus quaternis interpositis sentit, quae molimina menstrua nominari jam supra commemoravi, tum medici est, accurate explorare atque ex re et causa agere. Apud

virgines, quae corpore vigente et valetudine bona utuntur, cunctatio menstruationis vitiosa organorum sexualium formatione niti solet, qua aut quominus ovula maturescant et expellantur aut sanguinis profluvium intret, prohibetur. Haec est amenorrhoea quasi spuria, illa vera.

Primum quidem de amenorrhoea spuria mihi scribendum est. Sanguis, qui inter menstruationem in cavum uteri effunditur, vario modo quominus per vaginam profluat impediri potest. Sive canalis cervicis uteri obliteratus est sive labia portionis vaginalis cohaerent sive hymen imperforatum locum habet, sive nymphae coaluerunt. Sunt nonnullae mulieres, quae tota vagina carent, aliae, quae eam habent sed breviorem, utero non adjunctam, ut vagina quasi sacco caeco terminetur. Quodsi menstruatio, quum pubertatis aetas prope adsit, non apparet, sed puella spatiis certissimis vehementer recurrentibus moliminibus vexatur ejusque abdomen paullatim intumescere coepit, magna suspicio obtruditur, sanguinem menstruum aliquo impedimento in utero retineri. Quibus signis cognitis, accuratissime explorari

necesse est, ut intelligatur, quod sit impedimentum. Exploratione externa facta, abdomen reperitur fornicatum, molle, ictu fluctuans, atque uteri fines percipi possunt. Ante genitalia externa aut in vagina tumorem mollem et fluctuantem digitus sentit, qui saepe inflammatus est et dolet. Quae inveniuntur, quum nymphae coaluerunt aut hymen est imperforatum. Sin vero cervix uteri clausa est, vulva et vagina normalem ostendunt formationem, sed portio vaginalis est aucta, mollis, fluctuans, neque uteri orificium digito sentiri neque speculo immisso cerni potest. Illis in casibus tandem, quibus vagina cum utero non conjuncta est et portio vaginalis digito non attingitur, nihil nisi levis fluctuatio in profundo percipitur. Sed digito in rectum immisso uterum auctum esse cognoscimus. Quibus exploratis, diagnosis est facilis. Sed illo in casu, quo labia portionis vaginalis conglutinata sunt, facile fieri potest, nisi accuratissime exploratur, ut virginem gravidam existimemus. Huc accedit, quod abdomen saepe paullatim valde intumescit, quum sanguis et minus large effundatur et effusus magna ex

parte resorbeatur. Itaque quum omnes mulieres simulent neque pro certo affirmari possit, utrum cum viro coierint nec ne, diagnosis differentialis primo tempore saepe perdifficilis est. Sed si post complures menses partes foetus non sentiri neque ejus cordis soni audiri possunt, molestiae vero quaternis intermissis hebdomadibus recurrentes manent, graviditas excludenda est. Praeterea, qui diligenter observat, animadvertet, post molimina menstrua abdomen subito crescere et paullatim ad minorem modum redigi, quo facto haematometram, non graviditatem esse luce clarius fit.

Prognosis in universum fausta est. Sed etiam casus etiamsi rari observati sunt, ubi sanguis retentus aut vehementem inflammationem excitavit, aut per tubas Fallopianas in cavum peritonaei pervenit, ut mulieres acuta peritonitide perirent.

Is morbus scalpello sanatur. Longe facillima operatio est, quum cohaerentibus nymphis aut hymene impervio sanguis retinetur; quo in casu tumorem cultro incidisse saepe sufficit. Operatione facta, aqua tepida injicienda et abdomen

fricandum est, ut uterus se contrahat. Sin vero vagina tota aut magna ex parte deest, cautissime, digito in rectum et cathetere in vesicam immissis, paullatim incidendum est, ne eae partes laedantur. Quibus in casibus interdum difficile est, vaginam ad coitum aptam reddere, ut sanguini exitum parasse acquiescere possimus.

Amenorrhoea primitiva vera, in qua ovula neque unquam maturata neque expulsa sunt, variis organorum sexualium deformationibus nititur. Sunt puellae, quarum corpora et animi, quod attinet ad sexuales functiones, tardius evoluta sunt, ut, aetate pubertatis transmissa, ne symptomata quidem, quae menstruationi cuique praecedere solent, percipiant. Earum partes genitales sectione facta vitiosae repertae sunt. Sunt vero mulieres omni ex parte bene evolutae, apud quas, quum certis intervallis molimina menstrua excitantur, tamen menstruatio non effunditur. Quarum ovaria post mortem singulis in casibus bene conformata reperta sunt, dum uteri incrementum a pueritia substitisse videbatur.

Primum quidem omnes deformationes et de-

generationes ovariorum, quibus ovula quominus producantur ac maturescant prohibetur, menstruam functionem funditus exstinguere, luce clarius est. Qua de re apud mulieres, quae amenorrhoea primitiva affectae erant, ovaria saepissime non magis evoluta quam infantium inveniri solent, ut ne folliculi quidem Graafiani in iis cerni possint. Quibus in casibus uterus interdum normali magnitudine utitur. Multo saepius autem eodem modo a juventute crescere desiit. Hujus generis West duos casus memoriae tradidit, quorum alterum apud mulierem quadraginta tres annos natam et viginti annos nuptam, quae unquam neque menstruationem neque partum ediderat, alterum apud virginem observavit. Utriusque uterum exploratione facta valde pusillum cognovit, dum corpus et genitalia externa bene formata erant. Instinctu sexuali affectae erant, sed nunquam molimina perceperant, ut ovaria imperfecta esse maxime verisimile videretur. Virginis organa sexualia an postea paullatim perfectionem obtinuerint, West nescit, neque id non factum esse certo affirmare ausus est. Quales

mulieres molestiis fere nullis perturbantur, ut medicum non consulant, nisi nuptae prolem edere cupiunt.

Prognosis modo pejor modo melior est, prout genitalia interna aut magis aut minus deformata sunt. Namque narratur, mulieres nunquam menstruatas, postquam viro nupserint, menstruationem et partum edidisse. Sed quamquam negari non potest, amorem viri ac coitum ad genitalia augenda valere, tamen plerumque tales mulieres, quae virgines amenorrhoea affectae erant, nuptae ea non levantur. Nihilominus medici est, omnia adhibere, quae menstruationem excitare possint. Neque vero emmenagogum quodlibet proponere licet, sed corpus et animum bene alas ac naturae conatus menstruationis producendae idoneis medicaminibus adjuves.

Pro therapia casus cujusdam, quem ipse observavi, curationem enarrabo, quo intelligatur, quam parum optima therapia in amenorrhoea primitiva vera efficiatur.

M., viginti septem annos nata et quinque annos nupta, satis bona vitae conditione utebatur

ac felix matrimonium egisset, si, quod maxime cupiebat, ei contigisset, ut conjugem pignore amoris donaret. Qua spe complures annos irrita, curationem homoeopathicam quandam incepit, qua fluorem album adscivit. Tum propter hoc malum, ut sterilitas tolleretur, ineunte auctumno anni praeteriti in clinicen professoris Martin venit.

Anamnesi audita, eam prima juventute gravibus morbis nunquam oppressam esse, sed post quartum decimum annum in variolosum morbum incidisse, cujus cicatrices adhuc in ejus ore animadverti possunt, intellectum est. Quamquam ejus corpus paullatim bene evolutum erat, tamen menstruatio nulla orta est atque usque ad hunc diem deficit. Nunquam molestiis perturbabatur, sed valetudine optima utebatur, donec ante menses tres una cum fluore albo dolores in abdomine exorti sunt.

Corpus mulieris validum et bene conformatum, mammae mediocri magnitudine, partes genitales externae tales, quales apud alias mulieres inveniuntur.

Exploratione interna facta, vaginam mediocri

amplitudine, portionem vaginalem tenuem conum, orificium uteri scrobiculum esse cognitum est. Sed specillo uterino immisso uterus dimidio pollice debito brevior repertus est.

Quae re explorata, quin genitalia interna, antequam perfecta fuerint, crescere desierint, dubitari non potuit; num variolis superatis id factum sit, difficile intellectu mihi videtur. Quum nutritio bona esset, medicamina in vaginam applicanda praescribere aptum videbatur, quibus efficeretur, ut genitalia interna augerentur. Itaque fluore sublato, mulier aquam temperat. 30° R., cui post spatium quoddam pauxillum ammoniaci caustici soluti adderetur, siphonis ope in vaginam infundere jussa est. Praeterea quum alvi dejectiones retardatae essent, medicamen purgans ei exhibitum est.

Rp. Foliorum Millefolii
Corticis Rhamni frangulae
Rhizomatis Graminis
Foliorum Sennae $\overline{aa}$ ʒβ

C. C. M. ut f. species. D. S. quarum plenum cochlear Aquae fontanae libra dimidia infundatur.

Nonnunquam pediluvia tepida ei praescripta sunt. Qua curatione aliquamdiu adhibita, non solum molestiae graviores in abdomine et dolores vehementes regionis sacrae excitati, sed etiam mammae augeri coeptae sunt. Exploratione facta portionem vaginalem tumidam et mollem ac valde sensibilem, uterum digiti quadrante breviorem debito cognovimus. Eodem die, quo explorata sit, pauxillum sanguinis e vagina profluxisse idque, post aliquot dies iterum evenisse, mulier pro certo affirmavit. Quae symptomata brevi post decesserunt.

Longo temporis spatio praetermisso neque menstruatione excitata, aliam curationem adhibere placuit. Itaque portionem vaginalem ter per hebdomadem tinctura jodi circumlini et ad usum internum jodum sumi jussum est.

Rp. Syrupi ferri jodati
Syrupi simplicis āā ℥j

D. S. hujus syrupi minus cochlear plenum nonnunquam sumatur.

Brevi tempore post denuo doloribus regionis sacrae perceptis, mucus sanguinolentus ex ori-

ficio uteri effusus est. Specillo uterino immisso, uterus digiti quadrante brevior debito repertus est. Medicatione interna, quum stomachus jodum recusaret, neglecta, portionem vaginalem tinctura jodi circumlinere perrexerunt. Neque tamen menstruatio produci potuit. Quam ob rem, ut nihil inexpertum omitteretur, professori Martin rivi galvanici constantis vim in utero experiri visum est.

Est pessarium intrauterinum electro-galvanicum, cujus conus ex alternis zinci et cupri tabulis compositus in canalem cervicis uteri inducitur. Quod quum aliquot dies adhibitum esset neque solum mucus largus ex utero proflueret, sed etiam molimina menstrua sentirentur, colpitide excitata, amoveri necesse fuit.

Plura de eo casu non audivi. Sed quamquam adhuc menstruatio non producta est, tamen curationem non prorsus desperatam fuisse intelligi potest. Nam quum jam bis sanguis ex utero effunderetur ac molimina perciperentur, amenorrhoeam, hac stabili ac prudenti curatione continuata, paullatim tolli posse prorsus negare non ausim.

Omnino insanabiles ii casus sunt, quibus utrumque ovarium deest. Quod utrum cui occurrerit, an ovaria minutula per negligentiam non conspecta sint, nescimus. Saepius alterutrius ovarii defectus invenitur, quo statu fere appendices uterinae et ren ejusdem lateris deesse solent. Similem casum in instituto anatomico-pathologico professoris Virchow vidi, ubi ovarium dextrum magnitudine fabae atque oophoron dextrum obliteratum erat. Simul vero uteri dimidia pars ejusdum lateris defecit, ut uterus unicornis esset. Quae deformationes inter vitam conjici possunt, sed quales sint, nisi sectione facta non cognoscitur. Ad earum sanationem conferre nequimus, exceptis illis casibus, quibus genitalium internorum incrementum minus tardatum est. Quae curatio ubi adhibenda sit, jam supra ostendi.

Facile id cognitu sed nullo modo faustius ovariorum defectu est, si uterus deficit vel potius priore aetate augeri desiit. Plerumque uterus duobus corpusculis magnitudine fabarum repraesentatur, dum vagina ab utero sejuncta quasi sacco

caeco terminatur. Cujus generis Westio unus casus occurrit apud mulierem, quae se coitu minus, quam par sit, frui posse questa est. Exploratione habita, vagina multo brevior ac clausa reperta est, neque digito in rectum immisso quidquam uteri percipi potuit. Quibus rebus therapiam desperatam esse, vix commemorandum puto. Sed si uterus minus pusillus neque a vagina sejunctus est et certis intervallis molimina menstrua sentiuntur, qua re ovula in ovariis produci intelligi potest, tum fore, ut menstruatio paullatim proferatur, sperare licet. Iis in casibus, quum affluxus ad hypogastrium fiat neque sanguis ex utero effundatur, interdum intra alia organa, ut ventriculum, haemorrhagia certo tempore recurrens consistit, quae a veteribus menstruatio vicaria appellata est. Quod ne fiat, medico omni ratione enitendum est. Neque vero facile est, eam haemorrhagiam, si e ventriculo proficisci consuevit, superare, nisi, ut fluxus menstruus ex utero provocetur, prospere evenit.

Deinde quoque graviore morbo, quo puella

brevi ante pubertatem corripitur, menstruatio longum tempus tardari aut concipiendi facultas prorsus exstingui potest, seu totus organismus eo debilior factus est, quam qui impensas ferat, quae re sexuali postulantur, seu genitalia interna ita mutata sunt, ut eorum functiones reprimantur aut deleantur. Quam ob causam apud Cretinas, quarum imperfectus animus pravo corpore uti solet, procreandi facultas aut sero aut nunquam oritur.

Denique, iis casibus relictis, quibus prognosis semper fere infausta et therapia desperata est, amenorrhoea primitiva vera saepissime nutritionis perturbationibus sanguinis mutatione productis nititur. Huc pertinet anaemia et ille morbus, cui nomen »chlorosis« datum est.

Si quo modo sanguinis copia deminuta ac constitutio depravata est, omnium organorum functiones commutari manifestum mihi videtur. Qua de re anaemia, quae ineunte pubertate variis causis proferri potest, menstruam functionem retardari minime mirum est. Quae amenorrhoea, sanguine certa vivendi disciplina, bonis

alimentis, rusticatione, reliquis aucto ac meliore facto, cum anaemia discedit.

In describenda chlorosi diutius versari mihi liceat, quia hic morbus tum saepissime ineunte virginitate, ut menstruatio non appareat, efficit, quum, si recte cognitus est, certis medicaminibus facillime tollatur. Quibus causis chlorosis promoveatur, plerisque in casibus nescimus, quamvis opinari possimus, corporis mutationes ineunte pubertate ad morbum excitandum maximi esse momenti. Quod quo modo fiat, intelligi non potest. Neque vero quae res nocentes morbo prolato faverint, perspicuum est. Nam etsi prava vivendi disciplina, tenui victu ac cultu, praecipue autem onania chlorosin excitari verisimile sit, tamen puellae tentantur, apud quas haec omnia non locum habuerunt. Morbus consistit in sanguinis mutata constitutione prolata eo, quod sanguinis corpuscula rubra valde deminuta sunt, sed ita, ut reliquae sanguinis partes integrae sint. Plerumque ineunte pubertate emergit ac praecipue puellas opprimit, quamquam infantes, mulieres natu majores, imo etiam viros corripi

negari non potest. Quodsi puella quaedam, cujus corpus illas mutationes, quae pubertatis sunt, ostendit, ut ad perfectam virginitatem nihil nisi menstruatio deficiat, paullatim pallescit, dum respiratio et circulatio sanguinis acceleratae sunt atque in corde et in magnis vasis strepitus auditur, suspicio obtruditur, eam chlorosi affectam esse. Quae suspicio multis et variis signis confirmatur, e quibus pauca quaedam enumerasse satis sit. Maxime notabilis est praeter pallorem systematis nervorum vasomotoriorum incitabilitas, qua fit, ut puellae modo erubescant modo pallescant. Tum agrotae appetitu carent vel potius cupiditates habent, quae ne naturam quidem attingunt, omnes motiones recusant, quum facillime defatigentur, saepe vehementibus nervorum doloribus, imprimis trigemini, vexantur, menstruationem fere nullam edunt. Quam amenorrhoeam veram esse, certum videtur, quum plerisque in casibus non solum haemorrhagia sed etiam molestiae illae, quae ovulis maturescentibus percipi solent, prorsus desint.

Prognosis fere optima est, nam chlorosi sub-

lata menstruatio apparere solet. Sed dubia fit, si haemorrhagia ex ventriculo effusa, quae ab ulcere saepe rotundo pendet, certis intervallis recurrere coepit, ut menstruatio vicaria oriatur. Quam saepe perdifficilem esse sedatu, jam supra ostendi.

Chlorosis, quum recte cognita est, ferri praeparatis certissime sanatur, ut, si id minus contingit, non veram chlorosin sed anaemiam symptomaticam exsistere, summo jure suspicari possimus. Namque, chlorosi longum tempus frustra curata, procedente morbo saepissime anaemiam esse tuberculosi aut ulcere ventriculi chronico productam atque sustentatam, intelligimus. Quo modo fiat, ut sanguinis constitutio ferro melior reddatur, nescimus. Sed magnis ejus medicaminis dosibus morbum citissime sanari, inter omnes constat. Quam ob rem ea ferri praeparata commendanda sunt, quorum magnas doses stomachus non recusat. Optimi sunt boli, quos Blaud primus commendavit.

Rp. Ferri sulphurici puri
Kali carbonici puri $\overline{aa}$ ʒβ
Gummi Tragacanthae q. s. u. f. l. a.
boli No. XLVIII

D. S. quotidie tres boli sumantur, quae dosis post ternos dies uno bolo augeatur.

Omnia alia medicamina supervacanea sunt. Sin vero hi boli aegre sumantur, aut si recidiva timeatur, aegrotis imperandum est, ut aquas martiatas, Pyrmont, Dryburg, Spaa, bibant.

VITA.

Natus sum Carolus Henricus Theophilus Luedden die XII m. Junii anni hujus saeculi quadragesimi in urbe Pomerana Schievelbein, patre Carolo, medico practico, quem adhuc vivum pio gratoque animo veneror, matre Henrica, de gente de Kathen, quam dira morte mihi ereptam lugeo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasia Neo-Sedinense et Halense per octo annos frequentavi, quae directoribus Cel. Roeder et Ill. Eckstein tum floruerunt. Maturitatis testimonio ineunte auctumno anni MDCCCLX ornatus almam petii Herbipolitanam ibique ab Ill. Scherer, tum fasces academicos tenente, in numerum civium academicorum receptus per quattuor semestria scholis medicis interfui. Inde, tentamine physico in universitate Rhenana superato, Berolinum me contuli ibique ab Ill. Beseler, tum rectore magnifico, in album academicum relatus, cursum medicum absolvi. Per octo semestria audivi disserentes viros Illustrissimos, Celeberrimos, Experientissimos:

Herbipoli:

Ill. Scherer de chemia anorganica et organica;
Ill. Schwarzenbach de physice;
Beat. Rumpf de mineralogia;
Ill. Narr de encyclopaedia et methodologia,
Ill. Koelliker de anatomia, de embryologia, de physiologia;
Ill. Mueller de anatomia, de histologia, de anatomia comparata;

Ill. Schenk de botanice;
Ill. Rinecker de materia medica, de morbis infantium;
Ill. Geigel de pathologia et therapia generali;
Ill. Bamberger de pathologia et therapia speciali;
Exp. Dehler de chirurgia;
Ill. Scanzoni de arte obstetricia.

Exercitationibus practicis me instituerunt:
Ill. Schwarzenbach chemicis; arte cadavera secandi et rebus histologicis Ill. Koelliker;
Ill. Geigel auscultatione et percussione;
Exp. Stang rebus syphiliticis.

Berolini:

Exp. Liman de medicina forensi;
Cel. Ebert: de morbis infantium;
Cel. de Baerensprung de syphilide.

In exercitationibus practicis duces mihi fuerunt:
Cel. Traube de auscultatione et percussione;
Ill. Virchow de rebus pathologico-anatomicis et sectionibus;
Ill. Martin de operationibus obstetriciis;
Exp. Mitscherlich de fasciis rite applicandis;
Ill. Langenbeck de operationibus chirurgicis.

Clinicis praeterea interfui medicis, chirurgicis, obstetriciis, gynaecologicis, paediatricis, otiatricis: Ill. Ill. Frerichs, Romberg, Traube, Langenbeck, Martin, Cel. Henoch, Exp. Erhardt.

Quibus viris omnibus egregie de me meritis gratias ago semperque habebo quas possum maximas.

Jam tentaminibus et physico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Qui anatomiam nescit, bonus medicus esse non potest.
2. Pulcherrimum illud est Hunteri: consuetudo corporis memoria.
3. Colpitis granulosa non nisi infectione facta exsistit.
4. Post partum haemorrhagia saepe eo nititur, quod, ischuria paralytica prolata, vesica urina completa prohibet, quominus uterus se contrahat.
5. Rhinoplastice cum erectione cristarum osseārum longe optima est.
6. In operatione polyporum pharyngis et narium resectio osteoplastica maxillae superioris exstirpationi longe praeferenda est.
7. Ferrum quasi specificum chlorosis.
8. In pneumonia therapia supervacanea est.